

DISSE^{TT}TATI^O AVSPICALIS IVRIDICA
DE
IVRE FORESTALI

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO AC POTENTISSIMO PRINCIPE
ET DOMINO

DOMINO FRIDERICO II

HASSIARVM LANDGRAVIO REGN. RELIQUA
AVCTORITATE ET CONSENSV ILLVSTRIS
IVRECONSULTORVM ORDINIS

PRAESIDÉ

IOANNE ANDREA HOFMANNO

DOCTORE ET ANTECESSORE IVRIVM P. O.

ATQVE ASSESSORE ILL. ORDINIS ICTORVM

PRO LICENTIA

SVMMOS IN VTROQVE IVRE HONORES
ET PRIVILEGIA EORVM RITE CONSEQVENDI

DIE XVIII MENSIS IULII A. R. S. CLOCCCLXXI

MAGNIFICORVM ILLVSTRIVM

ATQVE EXCELLENTISSIMORVM VIRORVM DISQVISITIONI

SUBMITTIT

AVCTOR AC RESPONDENS

LEOPOLDVS GVLIELMVVS IOSEPHVS LYSEN

BRILONIENSIS WESTPHALVS AB EMINENTISSIMO
PRINCIPE AC DOMINO DOMINO MAXIMILIANO
FRIDERICO ELECTORE ATQVE ARCHIPRAESVLE
COLONIensi PARENTI SVO CLEMENTISSIME
ADIVNCTVS ADVOCATVS FORESTALIS ET IVDEX
FRAEFECTVRARVM IN HIRSCHBERG, BELECKE,
ET ALHAGEN.

MARBVRGI CATTORVM

EX OFFICINA TYPOGR. VNIVERS. ACAD. MÜLLERIANA.

DISSERTATIO VARIA CIVILIS IURIDICAE
de
IURE FORTIS
RECTORIS MAGNIFICENTISSIMO
SERVASSIMO AC POTESNTISSIMO PRINCIPLE
ET DOMINO
DOMINO FRIDERICO II
HANSIARUM LANDGRAFI RICII. REIPUBLICA
AC TERRITORIALE ET CONSTITUTA HISTORIA
TAKEGONALTORE ordinis
PRAESIDIS
IOANNI ANDREÆ HOMANNO
DODTORIS ET ANTECESSORIS IURAM. o.
ET EPISTOLÆ DORMITIÆ CONVENTIONIS
PRO PLENTY
SUMMOS IN ASTRÆS IURE HONORES
ET EPISTOLÆ DORMITIÆ CONVENTIONIS
PIX XVM MILES VIM ALIA CIVICOCIVIA
MENITIORVM MORTVM HISTORIA
ATQVE EXCELENTERISSIMVM MORTVM DEDICATIONE
SOCIETATIS
PROCEDAS GARTERIAE JOSEPHAS FUSEN
SOCIETATIS MASTERSA ET MUNIMENTISSIMO
TRINITYS AD DOMINO DOMINO MAMILLIANO
TRIPUDIO ELEGORIE ATQVE ARCHIATRIBUS
COCONINISI PARVITATIS CELEBRANTIS ET IANEX
ADIVITATIS MEGACATAS TOLUSTATIS ET DEDICATI
PROLETARIOVVM IN HIRZBURGO DEDICATI
ET ALIIS
MARRAGI CATTORVM
IN CHICINA TACOGR. LVISS. AGD. MULIERVM.



CAPVT I

DE ETYMOLOGIA IVRIS FORESTALIS.



Vir celeberrimus LUDOVICVS ENGEL in prooemio collegii vniuersi iuris canonici cum ICto CAIO in lege 1 π. de origine iuris dicit: inconueniens esse, interpretationem promittentibus, omisis initis, atque origine non repetita, atque illotis manibus protinus materiam interpretationis tractare, cum praefationes libentius hominem ad lectio- nem prapositae materiae producant, et cum eo ventum est, euidentiorem praestent intellectum. Horum iuris peritorum consilium etiam venerandus parens meus eo tempore, quo specimen solemne de *iure venandi* in alma vniuersitate litterata, quae Moguntiae floret, anno 1500 defensendum suscepit, secutus est, dum dixit: vocem *venationis* deriuari a quibusdam doctribus a vento, HARPPRECHT ad § 12, n. 9, Inst. de rer. dia. 10. PET. de LYDEWIG in diff. iur. rom. et german. in

A

vena-

venatu, eiusque regali, Halae salic. 1730, 4, diff. I, not. I, p. 2. Ego iam parentis mei colendissimi et carissimi vestigia premendo, antequam ad praesente iuris forestalis materiam descendam, prius etymologiam foresti examinabo. Vox *foreustum* deriuatur a verbo *forestarre*, quod notat prohibitionem facere de non usurpanda venatione, siliquaque tali prohibitione, banno, aut interdictione munita, *foresta*, *foreste*, *foreustumque dicta* fuit; vnde Gallis vocabulum *forêt*, Italis *foresta*, Germanis *forst* cognitum est. Inde veniunt forstbann, forstliche gerichtbarkeit, forstliche hoheit, forstrechte, forstregale, forstwälder cet., teste viro perillustri et magnifico
10. GE. ESTORE in der bürgerlichen rechtsgelahrheit der Teutschenden, a viro illustri **10. ANDR. HOFMANNO** publici iuris facta, P. I, § 1753, § 2443, seq. et P. III, § 1752, seqq. § 2441, seq. vid. **10. GE. WACHTERI** *glossarium germ. col.* 467, sub voce *forst*, **CHRISTIANVS GOTTLLOB HALTAVS** in *glossar. germ. medii aevi*, col. 476, seqq., **CAR. du FRESNE** in *glossar. ad scriptores mediae et infimae latinitatis*, voc. *forest*. domin. *inforestarre*. In capitularibus regum Francorum occurunt iam *forestes regiae*, *foresta regalia*, dominica, *forestarii regii*, et prohibitum fuit: ut nemo feramina furetur in forestibus dominicis, nullaque *foresta nouiter instituantur*, nouiter instituta autem dimittantur, conf. **PET. GEORGISCH** in *corp. iuris germ.* p. 612, § 36, p. 642, § 39, p. 617, § 62, p. 609, § 10, p. 780, § 18, 19, p. 860, § 22, p. 1152, § 71, p. 1213, § 49, p. 1381, § 42, p. 1386, § 65, add. vir perillustris **10. IAC. REINHARDT** de *iure forestali Germanorum*, Francof. ad M. 1738, 4, cap. I, § 4, seqq. p. 6, seqq. gründlicher bericht

richt von dem uralten Reichs- und königsforst zur Drei-Eichen, Offenbaci 1736, fol. P. I, § 2 seqq. p. 4, seqq. Ius foresti quandoque nuncupatur bannus, sive bannum bestiarum, de quo vide chartam Ottonis II apud GELE-NIVM de magnitud. Coloniae lib. I, synt. 7, p. 66, seqq. ad annum 973; quamvis negare nequeamus: in significacione singulari bannum ferinum distinguendum esse a iure foresti, REINHARDT l. d. cap. I, § 6 seqq. p. 9 seqq. et cap. III, sect. II, § 4, p. 75, seqq. IO. HENR. WOLFARD de eo, quod in Germania iustum est circa bannum ferinum in alieno territorio adquisitum, Marburg. Catt. 1730, 4, § 4, p. 3 seqq., cap. I, § 1 seqq. cap. II. Potest enim quis habere bannum ferinum, qui tamen non habet ius foresti, de BERGER in oecon. iur. lib. II, tit. 2, § 8, not. 7. Ius foresti (forstrecht) autem in genere spectatum varie sumi potest, et quidem modo pro iure forestali, quatenus sive superioritas circa illud versatur, sive quatenus dominio priuato conuenit, modo pro pensione annua, censu, mercede siluarum, cet., modo pro complexu legum forestalium, et priuilegiorum, quo etiam ius venandi continetur, denotat quoque iurisdictionem forestalem, KREBS in tract. de ligno et lapide class. 4, sect. 16, § 1, num. 3, et 4, viri perillustris ESTOR, et illustris HOFMANN l. d. P. I, § 2452, seqq. P III, § 2442 seqq. p. 939 seq., viri illustris GUIL. GODOFR. MOSERI grundsaese der forstoeconomie, 1757, 8 mai. P. I, § X seq. § XVIII, p. 9 seqq. illudque considerandum venit tum intuitu principis, ordinisque Imperii in territorio, tum in aliena regione, et annexam habet aut superioritatem territorialem, aut ea caret, HENR. HILDE-BRAND de iure regal. in alieno territor. superioritatem

CAP. II ADEI DEFINITIONE

non inferente, Altd. 1709, idemque cum exclusione venationis et banni ferini existere potest, HARPPRECHT ad d. § 12, num. 264, GE. MELCH. *de LVDOLF* in fasc. I *sent. cam.* num. 14, KREBS l. d. P. I, class. II, sect. II, class. III, sect. III, 10. 10D. BECK *de iurisdictione forest.* 1748, 4, cap. I, § 3, p. 7, seqq.

CAPVT II

DE DEFINITIONE IVRIS FORESTALIS.

Cum theologi, iurisprudentes, et philosophi tractationem rei alicuius a definitione incipient; ideo et ego a definitione juris forestalis in latiori significatione sumpti exordium faciam, et statuo pro diuerso respectu: quod sit imperium eminens, et potestas de caassis forestalibus, et ad venationem, siluarum ac nemorum curam et conseruationem spectantibus cognoscendi, praecipiendi, prohibendi, puniendi, legesque easdem attingentes ferendi, atque utilitatem ex eis percipiendi, WEHNER *in obseru. tract.* voce: *forst.* Ex hac definitione fluit, quod ius forestale late sumptum partem superioritatis territorialis: die forstliche hoheit comprehendere possit, REINHARDT l. m. cap. III, sect. II, § 2 seqq. p. 68 seqq., 10. 10D. BECK von der forstlichen obrigkeit, forstgerechtigkeit, und wildbann 1748, 4, cap. I, § 3, p. 6 seqq.; ius foresti striete dictum iurisdictionem inuoluit, forstliche obrigkeit, et bannum ferinum (den wildbann) annexum habere potest, vid. viri perillustris et magnifici 10. GE. ESTORIS bürgerliche rechtsgelahrheit der Teutschen P. III, § 2442, seqq. p. 939 seqq. § 2525, p. 957, seqq., FELIX SPITZ in tract. *de iurisdictione forest.* Altd.

1756,

1756, 4, cap. I, § 5, 6, et 7. Forestum enim obiecta habet: silvas, nemora, bannum ferinum, ferasque inibi existentes; ius forestale autem regulari modo haec duo simul, et hinc inuoluit et ius foresti, et bannum ferinum, MELCH. LVD. WESTENHOLTZII dissert. de *ivris forest.* Helmst. 1674, thes. 29, et 36, ac deducitur ex illo (1) ius condendi leges de venatione, *de SECKENDORFF im teutschen fürstenstaate, part. III, cap. 3, sect. 5,* § 5; (2) ius disponendi de vnu siluarum, et lignorum (holz - weid - und forstdordnungen zu machen), KNIPSCHILD *de ciuitat. Imp. lib. 2, cap. 7, n. 44;* (3) ius constituendi saltuarios (forstdbedienten zu bestellen) M.Y. LER ab EHRENBACH *de print. et stat. Imper. part. 2, c. 73, § 5;* (4) ius exigendi operas, et seruitia a subdivisis in venationibus exhibenda, MINGVS *de superiorit. territor. cap. 6, n. 76.* At vero cum multi sint, qui opinantur: quod iam in medium prolati nil commune cum iure forestali haberent, sed ea omnia superioritati territoriali adscribunt, IO. NIC. HERT in diff. de *superior. territor.* § XXXVIII seqq. et dicunt, consuetudine Germaniae ius foresti et merum imperium ita esse connexa, et inseparabilia, vt, apud quem vnum eorum esset, apud illum etiam existeret alterum, conf. KLOCKII vol. I, conf. 29, n. 61. Hinc quaeritur, annon ille, qui non est dominus territorialis, nec merum habet imperium, interim tamē iure foresti, et venandi gaudet, ac iurisdictionem forestalem simplicem absque superioritate territoriali exercet, leges de venatione, et vnu siluarum et lignorum facere, saltuarios constituere, et delicta contra tales sanctiones forestales commissa vindicare, et punire possit? Sunt quidem aientes, qui probationem depropositam hanc *de mabna A 3 codicibus etenim munt* sis

6. CAP. III DE DIVISIONE IVRIS FORESTALIS.

munt ex l. 2 *π.* de *iurisdic.* vbi dicitur, quod illi, cui iurisdictio data est, ea quoque concessa videantur, sine quibus iurisdictio explicari non possit. Deinde allegant DAVID. MEVIVM in part. 6, decis. 258, n. 1. Verum enim vero secernenda distinguenda sunt. Maximum enim discrimen inter maiestatem Imperatoris, ac superioritatem territorialem ordinibus S. R. I. competentem facendum erit. Nam ea, quae ad iurisdictionem tantum referuntur, neutquam sunt maiestas ipsa, nec superioritatem territorialem omnibus numeris et partibus expletam habent; quum ea, quae iurisdictionem attingunt, ex maiestate, ac superioritate territoriali quidem sint deriuanda; verum iurisdictio non est maiestas, nec eminens potestas, quae nomine superioritatis territorialis insignitur; quamvis iurisdictio species iuris regii habeatur. Vnde consequitur: memoratam l. 2 *π.* de *iurisdic.* solum ad naturam iurisdictionis respicere, atque ex ea visione esse explicandam; minime vero iurisdictione praeditus ponit personam imperatoris, aut principis. Ille quidem, qui simplici iurisdictione forestali gaudet, ministros foresti, et venationis constituere potest; at legislatoris potestate caret. Ergo hic leges forestales ferre nequit; bene vero delicta forestalia multa, poenaque multata potest. Quod autem laudatum MEVIVM attinet, ille de republica, atque imperante dicto loco loquitur; minime vero de illo, qui simplice iurisdictione forestali fruitur, verba facit. Ergo diuersorum faciendum erit diuersum iudicium.

CAPUT 111

DE DIVISIONE IVRIS FORESTALIS.

In capite antecedente egi de definitione; in hoc autem divisiones tractabo, et sciendum est, quod ius forestale

CAP. III DE DIVISIONE IVRIS FORESTALIS. 7

stale diuidatur vario modo, et quidem (a) in superius, et inferius, personale, et patrimoniale; personale, quod etiam administrativum vocatur, quod videlicet personae ratione officii adhaeret, atque extincto, siue finito officio, respectu personae, exspirat, SAM. STRYK in *vñ mod. π. tit. de iurisdict. § 18*; patrimoniale vero dicitur, quod praedio publica auctoritate est concessum, ac feudo, castro, aut villae adhaeret, et sic in patrimonio alicuius est. Itaque in eius successores tam vniuersales, quam singulares transit, LAVTERBACH in coll. theoret. pract. π. lib. II, tit. I, § 43. Deinde diuiditur (b) in immediatum, et mediatum. Immediatum est, quod quis habet vi superioritatis territorialis, alioue modo concessum, GABR. SCHWEDERI *introd. in ius publ. I.* R. G. parte speciali seet. 2, cap. 15, § 13, BECK l. d. cap. I, § 6, p. 14 seq. Mediatus autem dicitur, quod aliquis tenet a concessione domini territorialis, v. g. per inuestitaram, aut priuilegium cet., de LYNKER in cent. 6, decis. 565, FRID. VLR. STISSERI *forst. und jagthistorie der Teutschen*, Lips. 1754, 8, cap. I, § XI seqq. p. 12 seqq. (c) Discernitur in cumulatum, et priuatuum. Cumulatum habetur, quando a duobus, pluribusue illud exercetur, v. g. a domino directo, et vasallo simul, CHASSAN. ad *confuet. Burgund. rubr. 2 § 1*, in gloss. vlt. num. 30; priuatuum vero, quod ab uno solo cum exclusione aliorum usurpatur. Hinc iactantur apud nostros duea quaestiones, (1) num illi, qui a domino territoriali castrum cum foresto, et banno ferino emit, etiam competat ius forestale per illum districtum, et (2) an ille, cui ius forestale per clientelarem inuestitaram concessum sit, hoc ius habeat priuatue; utrum vero cum inuestiente, seu domino

8 CAP. III DE DIVISIONE IVRIS FORESTALIS.

domino superiore cumulatiue? Quod quaestione pri-
mam attinet, mihi distinguendum esse videtur: aut do-
minus territorialis intuitu castrorum venditi illud ius specialiter
exercuit, aut ut dominus territorialis generatim illo usus
est; priori in casu competit hoc ius emtori, non vero sta-
tim et indubitate in posteriori, MEVIVS part. 2, decis.

314. Nam, et si iurisdictione pertinentia castrorum reputetur;
tamen non omnis, sed eius tantum, quae iurisdictionem
connexam habere solet, cum concessio, et adquisitio
praediorum sola nihil operetur, nisi probetur, quae, et
qualia praedio annexa concedens habuerit, MENOCH in
conf. 395, n. 23, et 27. Quoad quaestione alteram
sunt negantia contraria aentibus. Pertinet enim dictis
IOACHIM. MYNSINGER a FRVNDECK cent. 6, obs. 99,
quod per huiusmodi concessionem inuestiens se non abdi-
cauerit iure forestali, nec priuatue, sed in dubio cumu-
latue dedisse intelligatur; BENED. CARPOV vero part. 1,
const. 27, def. 11, dicit, quatenus in tali visione hoc ius
priuatue sit concessum, atque inuestiens omnem iurisdi-
ctionem abdicatiue in accipientem contulisse censeatur;
quam sententiam et ego amplector, eamque probo per
textum *II feud. 23, § final.*, ubi dicitur, quod per con-
cessionem feudi quidem proprietas rei beneficiariae penes
dantem remaneat; ususfructus vero omnis illius rei ad
accipientem plene, et perfecte transeat, ita tamen, ut ab
ipso inuestito ad ipsum inuestientem prouocari possit,
PET. MÜLLER ad STRVII synt. iur. ciu. exercit. 4,
§ 80, litt. E, viri perillustris et magnifici IO. GE. ESTO-
RIS diss. de *adpellatione*, quae ratione feudorum extra cur-
tem ad dominum directum interponenda, non vero ad terri-
torii dominum admittenda, Marb. 1766, 4, § XXXXIII
seqq. p. 27 seqq.

CAPUT

CAP. III DE CAVSSA EFFICIENTE IVRIS FOR. 9

CAPVT 1111

DE CAVSSA EFFICIENTE IVRIS FORESTALIS.

Diuisiones huius iuris vidimus, nunc etiam eius causam efficientem exploraturi sumus. Ad hanc referuntur tum imperantes, et superiores, quum visiones, euenta varia, variisque modi, quibus hoc ius indulgetur et adquiri potest. Antequam autem ad tractationem horum iurium, et modorum progressum faciam, praemoneo, et statuo, quod ius illud forestale in latiori significatu sumptum originem suam neque ex iure divino, neque naturali, nec gentium, nec ex iure ciiali scripto, sed ex moribus, legibus atque institutis Germanorum habeat. Patet enim ex codice sacro, et quidem ex *genes. cap. 1, commate 28; et § 12 Institut. de verum diuīs.*, quod venari et aucupari ab initio cuicunque licuerit, et hoc tamdiu singulis, et omnibus licitum fuerit, donec reges Francorum, Imperatores, ac Germanorum principes ius venandi regium censuerint, et habuerint, nec non ius forestale sibi attribuere inceperint, NOË MEVRER von forst- und jagtrechte rubr. von welchen rechten das weidwerk, commate damit ich nun cet., REINHARDT l. d., STISSER m. l., FRIDI. CAR. de BVRI vorrechte der alten koeniglichen bannforste cet. 1742, fol. 1744, et regulari modo nunc inter regalia principum numeratur, ac iure eminente exercetur, KLOK in vol. I, conf. 29, n. 59. Sunt quidem non pauci, in dubium, incertumque hoc argumentum reuocantes; verum existunt quoque alii, qui ius regium venandi grauissimis argumentis, documentis publicis, atque experientia teste peruvincunt; sed animus mihi non est controuerbias negantium disceptandi, conf. (ANT. CHRISTIAN. LÜBBE) gründliche bewachung

B

rung

rung des Sr. koeniglichen Majestaet von Grossbritanien, und kurfürstl. Durchl. zu Braunschweig, und Lüneburg in dem herzogthum Lüneburg zustehenden jagtregals cet. 1731, fol. (CHR. LAVR. BILDERBECK) gründliche deduiction wider die vermeintliche regalitaet der jagten cet. 1723, 1741, 1754, fol., vir perill. IO. ADAM ab ICKSTATT de possessione regalium et in specie regalis venandi iuris aduersus principem nibil relevante, Heribp. 1736, 4, et in EIVSD. opusc. T. I, DAV. GE. STRVBEN vindiciae iuris venandi nobilitatis german. Hildes. 1739, 4, viri perill. IO. VLR L. B. de CRAMER vindiciae regalis iuris venandi oppositae vindicijs iur. venandi nob. germ. D. G. STRVBENII, extat in EIVSD. opusc. T. III, p. 1 seqq. IO. GVIL. de GOEBEL de iure venandi, Helmst. 1740, 4, CHRISTIAN. GOTTLIEB RICCIUS im zuverlaessigen entwurf von der in Teutschland üblichen jagtgerechtigkeit, Norimb. 1736, 4, SIM. FRID. HAHN vom jagt- und forstrechte apud dn. GVIL. FRID. de PISTORIUS. P. VI amoenitat. bish. iur. p. 1524 seqq., CHRISTOPH. GE. JARGOW einleitung zu den lebre von regalien cet. Rost. 1757, 4, lib. II, cap. V, § 5 seqq. p. 508 seqq. aliisque; verum satis habeo, quod venatio in terris coloniensibus ius regium, ac superioritati territoriali annexum habeatur, et declaratum sit, vti patet ex sequentibus verbis concessionis ab eminentissimo archipraesule ac septenuiro colonensi SALENTINO, p. m. ordinibus prouincialibus die 26 mensis Augusti anno 15
 15LXXVII indultae: „wie wohl auch die jagt, derwe-
 „gen die von der ritterschaft sonderlich klagt fürbrächt,
 „ein principal haubstück unserer landsfürstlicher RE-
 „GAL, YND OBRIGKEIT, und also uns, und unseren
 „nachkommen als dem landfürsten allein zustaendig; so
 „wol-

„ wollen wir doch hiermit zulassen; und gestatten, dass
„ die von der ritterschaft die jagt nachfolgender gestalt,
„ und anders nicht, gebrauchten mögen, aber in der Hardt,
„ und Dillen der grober jgt sich gaenzlich enthalten,
„ auch das wild in seinem aus- und einstreichen in keine
„ wege verhindern, oder aufhalten, und moegen also
„ die von der ritterschaft haesen, fuchs, und hüner jgen,
„ und fangen, lang das Hefsel bis auf den kalen dillen-
„ berg, und an die aeusserste streuch in kleinen strauch-
„ holz genannt Bronsthal und von dannen auf den Eych
„ Holzberg, lang den schaaffstall, Wolteien, und Holt-
„ hausen, die Vogink, und lenkeler bekenlangs, jedoch
„ da ihnen die hunde in der Dillen und Hart entstreichen
„ würden, dieselbe abzublassen, desgleichen sollen sich
„ die von der ritterschaft die Hornenburg zu Süderwich,
„ Süderwickfeld an der einen seite zwischen der landwehr
„ am Creuzbaum, und der Hornenburg, Bredenbroich,
„ Beckenerlon, bis achter Mickinghoven, Gros- Erchen-
„ Schwich, und daher auf Essel, und was dazwischen
„ nach der Hornenburg gelegen, auch gaenzlich mei-
„ den, doch Westrum zum Gutacker mit hunden- und
„ winden im grossen Erckenschwich und Persick zu he-
„ zen fürbehalten, das moegen die von der ritterschaft
„ achter Meckinghoven lang, und über die Lautenburg,
„ so weit sich das strauch und schlagholz erstreckt, nach
„ Streithausen hinauf, und ferner von Streithausen hin-
„ ter Suderwich zwischen, und durch den Efferlohe über
„ Effelerfeld außer und lang die landwehr und hilgen-
„ baum, oder creuzbaum mit hunden, und winden ja-
„ gen, doch im Effeler feld kein garn stellen, sonst soll
„ allen andern von der ritterschaft, und staedten mit hun-
„ den, winden, und garn, haesen, fuchs, und hüner, wie

„ von alters herbracht, zu jagen nit benommen seyn, je-
 „ doch uns, unserm Erzstift und nachkommen der grober
 „ jagt, und der mitjagt fürbehalten, da aber in dem Em-
 „ scherbroich zu zeiten ein wildschwein, oder wildpret
 „ verstreichen würde, sollen diejenige, so solches von
 „ alters herbracht zu jagen, macht haben cet. Fac esse:
 illud ius quoque ab alius, qui superioritate territoriali non
 gaudent, adquiri et exerceri posse; sed eo concessò, quod
 volunt, consequens id certe non damus; consensus prin-
 cipis ad eius exercitium requiritur, sive expresse, sive ta-
 cite impertiatur. Adquiri enim illud omnino potest:
 1) per inuestituram, et concessionem feudi, de LYNKER
 loc. diel. cent. 6, decif. 565, FRID. CAR. BVRI in der er-
 laeuterung des in Teutschlande üblichen lehnrechtes,
 Gieß. 1738, 4, p. 282 seqq. p. 607 seqq. p. 1287 seqq.
 et quidem aut verbis expressis: *mit allen forstlichen ge-
 rechtigkeiten cet.*, WESTENHOLZ in dissert. de iurisdic-
 forest. cap. 6, § 83, aut tacite, verbis nempe generali-
 bus: *mit allen pertinentien und zugehörungen cet.*, DE-
 CIVS in consil. 167, num. 2, in fine, versl. praeterea, mo-
 do tamen, vti ante dictum est, rei in fundum datae ius
 forestale adhaereat. Hoc auctoritate publica exerceatur.
 2) per praescriptionem, NOË MEVRER von forst. und
 jagtrechte, rubr. wie forstliche gerechtigkeit princ. scilicet
 per exercitium ex vna, et per patientiam ex altera parte,
 bona fide, tempore legibus definito continuatum. Dixi
 per exercitium vnius, et patientiam alterius. Nam quo-
 tiecunque contra exercitium illud a quopiam dicitur, to-
 ties illud neque legitime adquiritur, nec currit praescrip-
 tio. Sunt enim haec duo loco tituli, et instar traditionis,
 seu translationis, HAHN ad WESENBECK. tit. de seruit.
 num. 5, et quod ad talem praescriptionem, praecipue ex
 decreto

NOV 11

decreto iuris canonici, bona fides requiratur, desuper non dubitatur. Omne enim, quod non est ex fide, peccatum est, cap. fin. X de *praescript.* At quoad diuturnitatem temporis requisiti distinguendum est: inter priuatum, qui in castrum aliquod nobile solemissi modo introductus, et inuestitus est, illudque ius contra principem Imperii, aut princeps contra principem; aliumue ordinem Imperii praescribere intendit. Si prius, requiritur tempus immemoriale, LAVTERBACH in coll. theoret. *praet.* π. tit. de *v/s* cap. § 45, cum ius forestale inter regalia numeretur; quoad alteram inspectionem autem subdistinguitur, aut princeps ille titulum ad transferendum dominium habilem, aut non habet; si in eo praeditus est, sufficiunt anni 10 inter praefentes, et 20 inter absentes; deficiente vero titulo requiruntur 30, vel 40 anni l. 8, § 1, et l. final. C. de *praescript.* XXX, vel XL *annorum*, aut immemoriale tempus, LAVTERBACH loco cit. § 38, et 41. Adquiritur etiam 3) ius forestale per donationem, priuilegium, aliasque modos, WESTENHOLZ l. m. cap. 6, § 84, et 85.

CAPVT V

DE SVBIECTO IVRIS FORESTALIS.

Sicut in omnibus actibus, qui inter viuos, et mortis causa fieri solent, principaliter ad habilitatem subiectorum, inter quae eiusmodi actus contingunt, respicitur; sic etiam in acquisitione iuris forestalis ad eam habilitatem personarum respiciendum est. Constituunt autem hoc subiectum (1) omnes Imperii ordines, quibus illud ius vi superioritatis territorialis competit, REINHARDT l. d. p. 71, seqq., NOË MEVRER sub rubr. cit. von welchen rechten das weidwerk cert. vers. damit ich nun cert. inter quos etiam ciuitates imperiales communerantur. Hae enim non tantum in comitiis voto, et sessione, teste instrumento pacis

§ 14 CAP. V DE SVBIECTO IURIS FORESTALIS.

osnabrug. art. 8, § 4; sed et superioritate territoriali gau-
dcent, KNIPSCHILD de *iure ciuit. Imp. lib. 2, cap. 4, n. 7,*
et seqq. CHRISTIAN. WILDVOGEL de *superioritate ter-
rit. ciuit. imperial. lenae 1709;* habent quoque ius foresta-
le nobiles Imperii immediati, etiam si hi ordines Imperii
proprie sic dicti non sint; cum neque superioritate terri-
toriali praediti existant, neque ad comitia Imperii hodie
vocentur, DIET. HERM. KEMMERICH de *iure foresti
nobilibus Imper. immediatis quoque competente,* lenae 1736,
STRYK de *success ab intestato diff. 5, § 14, 15;* vide ta-
men IO. ADAM. KOPP de *insigni differentia inter S. R.
l. comites et nobiles immed.* Argentor. 1728, 4, p. 219-
227, p. 263-287, p. 364. Quin etiam status Imperii ec-
clesiastici hoc ius forestale exercere, et aequo subiectum
constituere possint, de hoc non est dubitandum, et satis
ex eo apparet, quod si impediantur, et turbentur in pos-
sessione, in tribunalibus supremis Imperii illi non secus,
ac saeculares, processus super constitutione pignorationis,
aliosque impetrare possunt, RVLAND de *commiff. part. 4,*
lib. 2, cap. 8, num. 6. Hoc etiam extendendum est ad
ipsas abbatissas Imperio R. G. sine medio obnoxias, qua-
tenus ordines Imperii constituent; etiam si secundum *l. 2
ff de reg. iuris*, tanquam feminae a munere, atque officio
publico remoueri debeant; tamen iure canonico, et pu-
blico Imperii Rom. Germ. iurisdictionis exercendae, et
dignitatum capaces dicuntur, *cap. 4, X de arbitris*, nec su-
perioritate territoriali in Germania circa terras guber-
nandas excluduntur, *Recess. Imp. de anno 1544 § aber ein-
jeder cet.*; (2) subiectum omnes illi, qui hoc ius per in-
uestituram, praescriptionem, aliosque modos adquisue-
runt, de quibus iam dictum est in capite IV.

CAPUT

CAPUT VI

DE OBJECTO IURIS FORESTALIS.

Subiectum nunc excipit obiectum. Hoc ipsum ius foresti stricte dictum, bannum ferinum, tanquam speciem inter se distinctam, aliaque respicit. Antequam autem hanc materiam vterius discutiā, praemitto, quod haec visiones non sint semper eadem, nec iura illa eodem genere, sed diuersis modis, prout illud ius forestale habentibus placet, exerceantur, quare etiam ad usum, et consuetudinem cuiuscunq; prouinciae, et regionis, respiciendum est, GAILL. in libro 2, obs. 68, num. 2, et 3. Ad ius autem foresti eminens refertur (1) ius ferendi leges circa foresta, silvas, et quae ad ea spectant, BESOLD in thesauro pract. voce FORST. Dixi circa foresta, et silvas. Non enim dominus foresti alias ferre potest leges, quam eas, quae tendunt ad utilitatem, et conseruationem siluarum, nemorum cert. ; solent autem tales sanctoriones ex ordine consistere in mandatis, et iussibus saltuariis datis, nemlich in observatione der mark grenzen, anlegung der eichel- und heisterkampen, anpfanz- und verlezung des jungen gehoelzes, anweisung der verkauften eichen, und buchen, beobachtung, dass das gehoelz zur rechten zeit, und ohne waldschaden gehauen, und das schadhaftie vech, als zieren, und schnafe cert. nicht in den jungen auffschlag getrieben werden, und dergleichen mehr, de quibus videri potest die kurfürstl. Coelnische jagt-busch- und fischereiordnung de anno 1759, cap. 2. Pertinet quoque ad ius foresti, (2) ius cognoscendi de excessibus contra leges silvestres, et foresti commissis, eosque puniendi, ERN. THEOPH. MAIER in tract. de iure venandi, cap. 12, thes. 2, WOLFG. ADAM. SCHOEPFF in consil. XXXIII, num. 80 seq. vol. VIII consil. Tubing. viri illustris DAV. GE. STRV-

BEN

161 CAP. VI DE OBJECTO IURIS FORESTALIS.

BEN rechtliche bedenken P. II, num. CII, p. 372 seqq., num. CXXXVII, p. 522. Quaeritur autem: num dominus foresti tales excessus, si sint maiores, et atroces, poena criminali afficere possit? Respondeo: distinguendo, aut dominus foresti gaudet superioritate territoriali, seu jurisdictione criminali, aut non. Priori in casu illud facere potest; quia, si hoc non facit, tanquam dominus foresti, sed ut dominus territorialis, aut merum imperium habens, MAIER loco citat. thes. 3; posteriori autem non, HARPPRECHT ad dict. § 12, Instit. num. 263. Refertur huc etiam (3) ius pignorandi eos, qui excessum contra leges forestales quoquo modo committunt, *de SECKENDORFF im teutschen fürstenstaat*, part. 3, cap. 3, sect. 6, § 10. Quod autem bannum ferinus attinet, spectat ad illum (a) facultas capiendi feras in naturali libertate existentes, HARPPRECHT loc. citat. num. 11. At, quod haec facultas ab initio iure diuino, naturali, gentium, et civili scripto omnibus fuerit communis, traectu vero temporis consuetudinibus in patrimonio etiam alicuius esse ceperit, dixi in cap. 4. Refertur etiam ad illum: si regalis est bannus ferinus, et principem attinet, (b) potestas promulgandi leges circa venationem, *de SECKENDORFF loc. cit. sect. 5, § 6*, MAIER loco dict. cap. 12, thes. 2. Constatuit autem illae leges praecipue in eo; dass nemlich die jagten nicht das ganze jahr hindurch, noch zur zeit, da das wiltpret sich paaret, und sezet, sondern zu bequemer jahreszeit getrieben werden, darnebst niemand das junge wiltpret auflangen, noch sich mit gewehr, und hunden in der wildbahn sehen lassen solle cet. conf. kurfürstl. coel. nische jagtordnung cap. I, add. viri celeberrimi et laude conspicui, TO HENR. LVD. BERGII *policei- und cameral magazin*, P. III, Francof. ad M. 1768, 4, p. 182-516, sub

111

1111

CAP. VII DE FORMA IURIS FORESTALIS. 17

sub titulis: *forstbediente, forstberichtschlagungen, forstbericht, forstbeschreibung, forstcameralwesen, forstcollegium, forstdienste, forstnutzungsetat, forstdordnung, forstrechnung und cassenwesen, forstregal, forststrafgerichte, forstvermessung* cet., 10. GODO FR. BOLTZENII *einleitung zum ambt-thierungs und rechnungswerk*, Norimb. 1767, 4, tit. V, p. 956 seqq.

CAPVT VII

DE FORMA IURIS FORESTALIS.

Ab obiecto iuris forestalis eminentis et simplicis prediger ad eius formam. Est autem illa duplex, alia scilicet essentialis, alia accidentalis. Essentialis prioris consistit in facultate legitima de rebus non tantum ad venationem, sed etiam siluarum, et nemorum curam, conseruationemque spectantibus praecipiendi, prohibendi, et ferendi leges (cap. II). Hoc modo comprehendit tum ius foresti, quum bannum ferinum, ideoque saepe in aulis et terris principum contingit, vt officia praefecti venationum, et forestorum (eines jägermeisters, und forstmeisters) in vna persona sint coniuncta, sicut in ducatu Westphaliae colonensi haec duo officia simul in viro perillustri libero barone de WEICHS deprehenduntur, etiamsi alias illa, in se considerata, sint distincta, 10. MEICHSNER in *decis. cameral.* tom. II, lib. II, dec. 2, num. 38, p. 67, GE. HENR. LINK in consil. Altdorf. resp. I, num. 10, resp. 181. Forma accidentalis respicit modum, quo ius illud probatur, et dum secundum antedicta ius forestale et venationis inter regalia numeratur, vti supra dictum est cap. IIII, vid. HENR. *de COCCEII* vol. II, consil. 190, p. 233, n. 8, 10. NIC. HERT in resp. 348, n. 3 seq. Hisce addere liceat, quae in Kurcoelnischer des herzogthumes Westphalen verbesserten policei - ordnung ab Electore atque Archipraefule colonensi Iosepho Clemente p. m. anno ccccccxxiiii, 4, renouata tit. XXXVII, § 1, p.

C

165,

18 CAP. VII DE FORMA IVRIS FORESTALIS.

165, p. 166, sancta sunt, et sic se habent: Obwohl unsere herren vorfahren am Ertzstift Coellen vielmahl alles ernstes gebieten, und befehlen lassen, das ein ieder, dem es RECHTMÄSSIG NICHT GEBÜHRET, sich sowohl des KLEINEN, als GROBEN WILDPRETSCHIESSENS in Unseren landen, bei vermeidung schwerer strafe enthalten solle; so vernerlinen wir dennoch hoechst befreimbd, und misfaellig, was gestalt solchen befehlen, und geboten gar nicht nachgelebt; sondern das wildpret ein - und andere wege ohne unterscheid von iedermann, so dessen nicht berechtiget, eigenes gefallens haueufig hinweg geschossen werde; und aber durch dergleichen unordentliches schiessen unsere wildbahn, dafern dem nicht gestoehret werden sollte, vollends in ab- und untergang gerathen müsste; dannenher wir alle, und iede eingefessenen, undeinwohnere unseres herzogthumes Westphalen, so die jagrgerechtigkeit von alters nicht hergebracht, und ihren besitz, da er streitig würde, nach nohtdurft rechtens nicht bescheinen koennen, gnaedigst hiermit gewarnet, zugleich aber ernstlich, und bei straffe 100 mark in kraft dieses befohlen haben wollen, einig GROB- oder KLEIN WILDPRET, als hirsche, schweine, rehe, haasen, canin, urhahnen, birkhüner, fasanen, feldhüner, reigeren, wilde aendten, oder tauben, und was dessen mehr ist, weder in büschchen, noch auf dem felde zu schießen, oder zu faellen, gestalt wir durch sothanes jagen auch die im felde stehenden fruchte allerdings unbeschädigt wissen wollen; sondern sich dessen allen zu entacusseren, und zu müssigen, vor allem aber, und insonderheit sich des jagens auf sonn- und feiertagen gaenzlich zu enthalten. Ex his patet: sententiam atque opinionem magni et celebratissimi illius viri etiam post mortem alias suspiciendi IUSTI HENN. BOEHMERI T. III, P. I, conf. 121, num. 9 seqq. non esse generalem, qui putat: venationem in episcopibus per se non esse regale, sed ad communes fundorum redi-

1111
CAP. VII DE FORMA IVRIS FORESTALIS. 19

reditus pertinere; neque vocem IO. GODOFR. SCHAVMBVRGI
in annotat. ad GE. AD. STRVII *iurisprud. rom. germ.* lib. II,
tit. I, aph. XXII, assensu excipio, qui opinatur: liberam
esse venationem in electoratu colonensi cet. De aliis archi-
atque episcopatibus Germaniae iamiam nihil curo, neque
angustia temporis mihi permittit licentiam plura de illis edis-
serendi, eorumque iura defendendi, sed in patria permaneo.
Hinc ille, qui illud praetendit, et praeexit, aut se in eius
possessione, vel quasi contra dominum territorialem fundat,
secundum regulam, titulum acquisitionis docere debet,
TEXTOR in diss. de *possess. iurisdict.* thes. 5, IO. NIC. HERT in
decil. 29, decil. 636, decil. 1011, n. 2, IVST. HENN. BOEH-
MERI consult. T. III, P. III, conf. 659, n. 1 seq. Est enim
princeps fons, et origo, a quo iura regia, et expresse, et ta-
cita in ciues deriuantur, eiusque concessio fundamentum ha-
betur possessionis, ideoque doceri debet, sive quis in peti-
torio, sive in possessorio versetur, MEVIUS in part. I, decil.
44, num. 6. Nam ob resistentem admodum vehementem
praesumptionem juris communis germanici pro regalibus,
quasi possessio mera huic nihil prodest, sed habetur impro-
ba, nec iure defendenda, SAM. STRYK in diss. de *necessit.*
edend. tit. possess. cap. 3, num. 18 seq. Probatur autem hoc
ius forestale (1) per instrumenta publica, et authentica, v. g.
per litteras inuestiturae, per documenta, ut donationis, em-
tionis, diuisionis cet., NOË MEVRER *von forst- und jagtrecht*,
part. 2, rubr. von beweisung förstlicher ober- und herrlich-
keit, commate: und ist kein zweifel cet. Patet hoc clare ex
l. 18, C. de probat. vbi dicitur: cum precibus tuis signifiques,
ignorante te praedium eum, cuius meministi, sibi velut a te
donatum instrumentis inseri fecisse; si vera sunt, (quae) pre-
cibus indidisti, nec ad nomen factae donationis fundus iste
peruenit; vnde adito iudice competenti, probare te oportet;
contra voluntatem tuam hunc fundum instrumento aduersa.

C 2

rium

20 CAP. VIII DE FINE ET EFFECTV IVRIS FOR.

rium tuum sibi adscribi laborasse est. Probatur etiam (2) hoc ius per testes, NOË MEYER loc. citat. § suis vierde cert., nempe per legitimos actus possessorios, ut si quis sciente, et paciente domino territoriali longissimo et immemoriali tempore illud ius exercevit, GAILL. lib. 2, obseruat 66, num. 4, et §, viri illustris DAV. GE. STRVEENII rechtliche bedenken, P 1, num. L, p. 129 seqq. Itidem probant testes in tali visione, etiam si alter deponat de vno, et alter de alio actu, et sic quoad tempora et actus dissentiant, modo tamen respectu eiusdem finis consentiant, ac totum faciant, GAILL. loc. cit. num. 12, conferatur quoque FRID. VLR. STISSERI einleitung zur landwirthschaft, Lenae 1746, 8, cap. IIII, sect. II, sect. III, cap. VIII, et viri illustris HENR. CHRISTIANI de BROCKE wahre gründe der physicalischen, und experimental allgemeinen forstwissenschaft cert., Lips. 1768, 8.

CAPVT VIII

DE FINE ET EFFECTV IVRIS FORESTALIS.

Examinata iam forma, meum etiam erit: finem, et effectum huius iuris forestalis peruestigare. Consistit autem praecipiens finis cum primario effectu in utilitate, et conseruatione foresti et banni ferini. Nam per capturam, atque occupationem quis facit feras bestias suas § 13, Instit. de rer. diuis. et ex foresto colligere licet ligna, glandes, et gramina cert. KNIPSCHILD de ciuit. Imp. 1. 2, c. 7, num. 60, vir perillustris 10. VLR. liber baro de CRAMER in wezlarischen nebenstunden P. V, p. 37, seq., P. XXXIII, p. 41 seqq. Effectus secundarii, sive orti, sunt remedia, quae pro hoc iure petendo, retinendo, conseruando, et recuperando competunt, eaque sunt modo petitoria, modo possessoria. Petitoria iterum sunt aut personalia, aut realia. Personalia dantur ex pacto, itemque contractu, vi cuius hoc ius concessum promissum implendum est. Quemadmodum enim servitus, si stipulatione, aliquo modo constituantur, per actionem congruam peti possint, sic etiam hoc ius, § 2. l. Inf. de servit. Promittitur autem illud sive nudo pacto, et tunc non datur actio de iure ciuili, l. 7 § 5. de pactis; bene vero moribus Germanorum WESEN BEC. ad 2. tit. de pact. num. 10, sive donatione, et sic petitur condicione ex l. 35 C. de donat., sive stipulatione, et locum habet condicione certi ex stipulatu, l. 14 C. de pact., sive contractu aliquo innotinato, ac datur actio praescriptis verbis, l. 2 ff. de

prae-

CAP. VIII DE FINE ET EFFECTV IVRIS FOR. 21

praescript. verb. Remedia realia autem sunt, vii antea dixi, aut pe-
titoria, aut possessoria. Petitoria dicuntur actiones diuersi generis.
nimirum confessoriae, et negatoriae vtiles ad afferendum, aut ne-
gandum hoc ius forestale, RVLAND de *commilf.* part. 3, lib. 3, cap. 10,
num. 8. Nam etsi eiusmodi actiones ex principiis iuris civilis directe
tantum dentur partim pro vindicanda seruitute; tamen viles com-
petent quoad hoc ius, GAILL. l. 2, obs. 66, num. 2, SCHOEPF in consil.
83, num. 29, vol. VIII, consil. Tub. Est autem actio confessoria
actio in rem, qua quis sibi, aut castro suo v. g. ius forestale compete-
re intendit, simulque eius declarationem et liberum usum contra
quemcunque impeditentem perit, arg. § 2 Inst. de act., HOPPI in com-
ment. ad institut. Iustinian., eiusus usu hod. ad dict. § 2. Negato-
ria actio tendit principaliter ad seruitutem aut iurium praerenforum
denegationem, minus principaliter ad praestandam cautionem de
non amplius turbando in usu libertatis, et eius, quod interest, iU-
DEI MENKEN in *system. iur. ciu.* lib. VIII, tit. V, § 10, § 11, per ill.
de CRAMER T. II, P. II, obs. 130 seqq. obs. 631, T. III, obs. 820,
p. 160 seqq. obs. 867, p. 348, obs. 927, p. 550, 10. NIC. HERT de
superiorit. territor. § 76, HENR. CHRISTIAN. SENKENBERG in *cautelis*
circa actionem negator. Gress. 1740, 4, § VIII seqq p. 16 seqq. Ad
remedia possessoria spectant interdicta, et quidem aut ad retinen-
dam, aut recuperandam quasi possessionem iurium; hinc ad reti-
nendam datur interdictum utile illi, qui in exercitio iuris forestalis
turbatur, aut eo uti impeditur, contra turbatorem, aut impedi-
tem, ad id, ut reus a turbatione defissat, et cautionem de non am-
plius turbando praefert, LAVTERBACH in *colleg. theoret. prael. n. tit.*
uti possid. § 2. Ad eam vero recuperandam, si quis de possessione,
vel quasi huius iuris deiectus sit, aut excludatur ab eadem, datur
interdictum utile unde vi, arg. l. 1, § 3, n. de *vi et vi armata.*
Actor autem hoc interdicto agens non tantum tenetur monstrare:
se esse deiectum, sed etiam se tempore deiectionis fuisse in posse-
sione, vel quasi, LAVTERBACH l. d. tit. *de vi et vi armata*, § 6.

CAPUT VIII

DE CONTRARIIS IVRIS FORESTALIS.

Quemadmodum ius forestale variis modis (vii in antecedenti-
bus dixi) adquiritur, ita etiam illud tum extingui, tum amitti, tum
eudem renunciari potest, et sponte sua, et negligentia, nec non
contra voluntatem haec evenire queunt. Amittitur autem (1) libe-

ra
4XXI00CICLO 3.1. A. B. C. D. E. F. G. H. I. J. K. L. M. N. O. P. Q. R. S. T. U. V. W. X. Y. Z.

22 CAP. IX DE CONTRARIIS IVRIS FORESTALIS.


ra voluntate eius . qui hoc iure gaudet , cum quilibet iuri pro se introducto renunciare possit , l. 35 π . de reg. iur. , (2) morte illius , cui ad dies vitae hoc concessum fuit , WESTENHOLTZ in diss. de iuris dict. forest. cap. 8 , § 110 . (3) elapsa tempore , ad quod illud fuit concessum , arg. l. XI , § 1 ff. quemadmodum seruit amittit , (4) reuocatione precario concedentis , l. 1 pr. et § 2 π . de preclar. ; (5) enemiente apertura feudi , cui hoc ius annexum fuit , SCHWEDEDE de iuris dict. per inuest. feud. concess. § 20 ; (6) non vtendo per longum tempus in territorio alieno , cum tamen hoc iure commode uti potuisset , arg. l. 10 π . quemadmodum servit vind. Dixi in territorio alieno , et cum quis hoc uti potuisset . In territorio enim proprio quis non vtendo illud neutiquam amittit , cum sit actus , atque exercitium per se omnino merae facultatis , STRYK in diss. de non vnu iur. quaeſt. cap. 3 , num. 12 , viri perillustris et magnifici IO. GE. ESTORIS commun. de abusu rerum merae facultatis in for. germ. praesertim feudaliz. lenae 1739 , 4 , § XI seqq. quamuis ius ipsum venandi non habendum sit res merae facultatis , ESTORI l. d. § 89 , p. 56 ; nec etiam amittitur , si quis hoc iure v. g. ob diuturnam belli calamitatem uti non potuerit ; non valenti enim agere , nulla currit praescriptio , l. 1 , § 2 , π . de annal. except. Deinde amittitur adhuc alis pluribus modis , quos hic recensere angustia temporis non permitit . Sit igitur , hifce orationis . Deo maximo gloria sempererna .

VIRO PRAENOBILISSIMO AC DOCTISSIMO
CANDIDATO IVRIVM PRAESTANTISSIMO
SALVTEM ET QVAEVIS FAVSTA PRECATVR
P R A E S B S .

Specimen aufpicale , quod mihi haud ita pridem de iure forestali obtulisti , ita comparatum est , ut ex eo volupitate maxima eruditioinem , et peritiam iurium TVAM colligere queam . Probabam et cognitam quidem illam iam ante ex multis occasionibus , atque ex scholis meis habui ; sed nunc disputatione sollempni proprio marte elaborata illa mihi testatior fit . Nihil in ea commentatione meum est , quod publice profiteor . Moderamen tamen , quod rogasti , maximo gaudio suscipio , cum TE comitem singularibus ingenii dotibus praeeditum , atque auditorem studiosissimum , quin etiam amicum dilectissimum cathedram ascendens habeam , et quem praeterea ad gradum superioriem academicum promouere debesem . Pergas modo laude digno proposito infilere , quo reipublicae exemplo illustris et consultissimi PATRIS aliquando praesesse valeas , eaque TVA industria et dexteritate in partibus TIBI demandandis mirum in modum crescat , atque augentur . Ego TE vbique gratulabundus sequar , spem optimam de TE , et de TVA virtute habens , TVAM amicitiam in me semper propensi , ac perpetuum fore . Vale et optime vale . Dabam Marburgi Cattorum die XXIII mensis Junii A. R. S. ccccccxxx.

Marburg, Diss., 1771-23





1771, 4/B60

DISSERTATIO AVSPICALIS IVRIDICA
 DE
IVRE FORESTALI
 QVAM
 RECTORE MAGNIFICENTISSIMO
 SERENISSIMO AC POTENTISSIMO PRINCIPE
 ET DOMINO
DOMINO FRIDERICO II
 HASSIARVM LANDGRAVIO REGN. RELIQA
 AVCTORITATE ET CONSENSV ILLVSTRIS
 IVRECONSULTORVM ORDINIS
 PRAESIDÉ
IOANNE ANDREA HOFMANNO
 DOCTORE ET ANTECESSORE IVRIVM P. O.
 ATQVE ASSESSORE ILL. ORDINIS ICTORVM
 PRO LICENTIA
 SVMMOS IN VTROQVE IVRE HONORES
 ET PRIVILEGIA EORVM RITE CONSEQUENDI
 DIE XVIII MENSIS IULII A. R. S. CLOCCCLXXI
 MAGNIFICORVM ILLVSTRIVM
 ATQVE EXCELLENTISSIMORVM VIRORVM DISQVISITIONI
 SVBMITTIT
 AVCTOR AC RESPONDENS
LEOPOLDVS GUILIELMVS IOSEPHVS LYSEN
 BRILONIENSIS WESTPHALVS AB EMINENTISSIMO
 PRINCIPE AC DOMINO DOMINO MAXIMILIANO
 FRIDERICO ELECTORE ATQVE ARCHIPRAESVLE
 COLONIensi PARENTI SVO CLEMENTISSIME
 ADVINCUTVS ADVOCATVS FORESTALIS ET IVDEX
 PRAEFECTVRARVM IN HIRSCHBERG, BELECKE,
 ET ALHAGEN.
 MARBURGI CATTORVM
 EX OFFICINA TYPOGR. VNIVERS. ACAD. MÜLLERIANA.

